Die Veneris proxime elapsa Publicum Officium ingrediens Auctor, inscius quod illâ die de summîs negotiis tractandum foret, propemodum repulsus fuit a quodam Ministro ejusmodi Officii. Auctor se excusat, oratque veniam, jurejurando affirmans se nunquam in tantum crimen exindè prolapsurum. Hoc super argumento scripsit Auctor sequens Epigramma. Fingit in primo Disticho loqui Ministrum, cui postea auctor ipse respondet.

Epigramma

Ista dies Veneris: procul o, procul esto profane:
Non licet indigno tangere Sacra pedi.
Promptus ad imperium discedam; Parce, Minister;
Hæc ego credideram non violasse Loca.
Ignarus Legum penetravi limina, cum tu
Me voce, et gestu longius ire jubes.
Da veniam misero; satis est prostrasse Leoni,
Dum cadat ante suos Bellua sponte pedes.
Oro, sis clemens: Humanos respice casus:
Alternis ludit sors male firma jocis.

Die decima Februarii 1808.

275